



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Decretvm Vt omnes Regularium Superiores suos subditos,  
& Religiosos persaepe commoneant de iniuncta omnibus  
obseruantia, & executione Apostolicarum Constitutionum,  
& Decretorum ad Officium ...**

**Urban <VIII., Papst>**

**[Romae], 1645**

XXVIII. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Diuina prouidentia  
Papae VIII. Constitvtio De Largitione Munerum vtriusque sexus  
Regularibus interdicta. Clemens Episcopvs Seruus Seruorum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10826**

uas Curie & Camere Apostolicæ, ac  
in acie Campi Floræ, & aliis locis soli-  
tis, & consuetis, ut moris est, per me  
Andream Scalmanum Sanctiss. D.N.  
Papæ Cursorem.

---

XXVIII.

Sanctiss. in Christo Patris, &  
D. N. D. C L E M E N T I S  
Diuina prouidentia Papæ VIII.

CONSTITVTIO

De Largitione Munerum vtriusque se-  
xus Regularibus interdicta.

Edita An. D.  
1594.

C L E M E N S E P I S C O P V S  
*Seruus Seruorum Dei. Ad perpe-  
tuam rei memoriam.*

MINISTRI  
S. C. G. G. G.  
G. G. G. G. G.  
G. G. G. G. G.

Exordium

**R**eligiosæ Congregationes, ab insigni  
sanctitate viris Spiritus Sancti af-  
flatu institutæ, tantas Ecclesiæ Dei utili-  
tates omni tempore attulerunt, vt ad  
eas conseruandas, & instaurandas, Roma-  
ni Pontifices prædecessores nostri ma-  
gnam iure optimo diligentiam semper  
adhibuerint: Nam cum ea sit rerum hu-  
manarum conditio, & natura, vt etiam,  
quæ

quæ optimè fundata, & constituta sunt, partim hominū imbecillitate, & ad malum procliuitate, partim dæmonis astutia, paulatim deficiant, ac nisi cura peruigili sustententur, in deterius prolabantur; Idcirco Summorum Pontificum vigilantia, magnopere laborauit, vt Regularium Ordinum disciplina, aut labefactata in pristinū restitueretur, aut salutaribus Constitutionibus communita, integra atque incolumis permaneret. Quorum nos vestigijs pro eodem Officij munere insistere, & Pastoralem illorum sollicitudinem (quantum possumus) diuina adiutrice gratia, cupimus imitari.

Munerum  
largitio Re-  
gularib. pro-  
hibetur.

S. I. Quare ne ex muneribus, quæ à pluribus Religiosæ vitæ professoribus, ex Christi patrimonio, quibusuis hominibus quauis ex causa sepè tribuuntur, graui incommoda, & mala, etiam boni specie existant, præcauere studentes: hac nostra perpetuo valitura Cōstitutione vniuersis, & singulis cuiuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium bona immobilia, & redditus certos ex indulto Apostolico possidentium, vel nō possidentium, seu cuiusuis Congregationis, Societatis, & Instituti (non tamen Militiæ) Regularibus personis vtriuslibet sexus omnem, & quācumque largitionem,

tionem, & missionem munerum penitus  
interdicimus.

§.2. Sub qua prohibitionem comprehendi volumus omnia & singula Capitula, Conuentus, & Congregationes, tam singulorum Conuentualium, Monasteriorum, Prioratum, Præpositurarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum, quam Prouincialia, aut Generalia cuiuslibet Prouincię, siue vniuersi Ordinis, Societatis, aut Instituti: eorumque vel earum Camerarios, Commissarios, & quoscumque; Officiales, & singulares personas: Ipsos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum huiusmodi Superiores quascumque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magistros, Ministros, & quocumque nomine Præfectos, necnon Conuentuum, Monasteriorum, Prioratum, Præpositurarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum quorumcumque Abbates, Priores, Præpositos, Præceptores, etiam maiores, Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, Priorissas, & alio quouis titulo Præsidentes, tam ipsis Regularibus, quam locorum Ordinarijs, seu quibusuis Superioribus subiectas vtriuslibet sexus ad vitã, vel ad tempus deputatos: adeò, vt nemo vnquam eorum, vel earum directè, vel indirectè palam, vel occultè,  
tam

Qui sint Regulares, declaratur.

tam communi, quam particulari, & proprio nomine, etiam sub quouis Statuti, vel consuetudinis, seu verius corruptele, aut alio pretextu, vel quacumque causa nisi in generali Capitulo, aut alia generali Congreg. re maturè discussa vnanimi consensu omnium, Superiorumque permissu causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

Et quid prohibum sit.

§. 3. Id autem ita absolutè, & generatim vetitum intelligatur, vt neque omnino fas sit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & prouentibus, collectis, uel contributionibus, aut oblationibus, siue eleemosynis, aut subsidijs certis, uel incertis, ordinarijs, seu extraordinarijs, mensæ, seu massæ communis, uel cuiusuis Fabricæ, & Sacristiæ, quorum bona communiter, ut præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quam ex pecunijs, etiam, quæ à singulis quouis modo acquisitæ in commune conferendæ omnino sunt. Nec si per uiam uoluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec si forsan priuatim, & nominatim cuilibet Religioso à suis Superioribus, uel à proprijs affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut beneuolis, uel à pijs Christifidelibus, etiam eleemosynæ, aut charitatis, & illius propriæ  
per-

personæ intuitu attributæ, seu quoquo- modo per quemlibet Religiosū suo Mo- nasterio, Domui, aut Loco acquisitæ, ei- que ut ad libitum de eis disponant, per Superiores concessæ fuerint: Præterquã leuiora esculenta, aut poculenta, seu ad deuotionem, uel Religionem pertinen- tia munuscula, communi tantum, nun- quam uero particulari nomine (ubi Su- periori de consensu Conuentus uidebi- tur) tradenda. Sed & huiusmodi missio- nes munerum ipsis Religiosis utriuslibet sexus non solum per se, verum etiam per alios, tam directè, quàm indirectè prohi- bitas declaramus.

§.4. Neque verò quispiam ab hac ge- nerali prohibitione se excusare valeat, etiam si munera miserit, cuius personæ Laicæ, vel Ecclesiasticæ cuiuscūque sta- tus, gradus, dignitatis, ordinis, vel con- ditionis, & quauis non solum mundana, & Ducali, Regia, Imperiali, verum etiã Ecclesiastica, & Pontificali, aut alia ma- iori, etiam S. R. E. Cardinalatus dignita- te fulgenti, etiam proprio Loci Ordina- rio, etiam ex causa, & occasione bene- dictionis, vel susceptionis habitus Regu- laris, tonsuræ, aut professionis Monia- lium, tam sibi subditarum, quàm non- subditarum, aut ipsi etiam proprio Or- dinis, vel Congregationis Protectori, Vi- ce-

Quibus do-  
nari non li-  
ceat.

ceprotectori, Generali, vel Prouinciali, aut cuiusuis Monasterij, Prioratus, Domus, aut cuiuslibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocumque officio, munere, aut dignitate fulgenti, vel cuicumque etiam simplici, & particulari Religioso. Ita ut inter ipsos quoque Religiosos (ne praua ambitione impulsus pro consequendis in sua Religione gradibus, & dignitatibus, alter alterius gratiam, aut beneuolentiam aucupetur) quacumque largitio, aut donatio munerum (nisi rerum minutarum, de licentia expressa, & in scriptis Superiorum) sit penitus interdicta.

*Etiam si in alicuius Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarij honorē*

*§. 5.* Insuper prohibemus, ne vnquam eisdem Regularibus liceat vllas pecunias quoquomodo erogare in alicuius etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarij honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratiq. animi testificationem, seu pro praedictis personis quauis auctoritate, vel dignitate fungentibus honorificè, lautè, & opipare excipiendis, seu pro quibusuis conuiujs eisdem, aut cuius alteri quacumque occasione, vel causa exhibendis, vel pro commensationibus, aut compositionibus quibusuis personis, tam eiusdem Ordinis, Congregationis, Monasterij,

rij, Domus, aut loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam pijs intra Ecclesias, Monasteria, & Domos sacras, seu pias, uel extra eas, in quibusuis publicis, aut priuatis sacris, aut prophanis locis, etiam ubi Sanctorum, & Sanctarum uita, aut res piè gestæ, etiam in memoriam Passionis Dominicæ populis spectandæ proponuntur, aut aliàs in prædictis, siue in quibusuis rebus superuacaneis ad pompam, & ostentationem, aut ad oblectationem, uel paucorum lucrû, & priuata commoda quomodolibet pertinentibus.

§. 6. Nisi re ipsa pro diuino cultu, & ueris Christi pauperum indigentijs, seruato in hoc charitatis ordine, & habita necessitatis ratione, de consilio, & consensu Superiorum subleuandis, aut aliàs in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Prouinciale non prohibitis, uel Taxam ibi forsan præscriptam non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant.

§. 7. Declarantes tamen, per hæc, laudabilem & Apostolicam doctrinam, sacrisq. Canonibus commendatam hospitalitatem, præsertim erga pauperes, & peregrinos, nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimo si qui redditus ad id, uel ex fundatione, uel ex institutis statutis, aut consuetudinibus aliquorum Mo-

na-

Nisi pro cultu diuino, & ueris pauperum indigentijs.

Hospitalitatis, & pietatis opera excipiuntur.



nafteriorum, Ordinum; aut regularium huiusmodi locorum, aut ex testatorum, uel donantium uoluntatibus, siue aliàs applicati, aut donati sunt, eos omnino (ut decet) integrè in usus pios hospitalitatis huiusmodi erogandos esse; & præferim in Monasterijs, seu locis deserti, & ab laicorum ædibus longius remotis, ubi tamen pauperum, & uerè egenorum ratio in primis habeatur. Si quos uero ditiores occasione transitus, siue aliàs ex deuotionis, aut necessitatis causa eò diuertere contigerit, eos sanè deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaq. & ferculis communibus, nequaquã à ceteris distinctis contentos esse. Verum omnino ipsi Regulares in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, ut in eis frugalitas, & paupertas religiosa prorsus eluceat.

Pont. interdicit quibuscunque secularis munera ut supra prohibita recipere.

§. 8. Pari etiam ratione districtè inhibemus, ne quispiam ex prædictis Laicis aliàs, quam ut superius dictum est, uel Clericus secularis, uel regularis quocumque honore, præeminentia, nobilitate, aut excellentia, etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate præditus, etiam Protector, Viceprotector, loci Ordinarius, Prælati Generalis, Prouincialis, aut Monasterij, Domus, uel loci cuiuslibet Superior eorumuè affines, propinqui, familia-

res,

res, aut ministri vtriuslibet sexus, quicquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiant.

§. 9. Quod si, vel ab aliquo particulari Religioso, vel à superiore quopiam Generali, Prouinciali, aut alio quocunque officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione, siue ab vniuerso Ordine, & religione quicquã receperint; id quod acceperint suum non faciãt. Verum ipso facto absq; aliqua monitione Iudicis decreto, sententia, aut declaratione ad illius restitutionem omnino in vtroque foro teneantur: adeo vt restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientie absolui possint.

§. 10. Hanc autem restitutionem fieri volumus non priuatim ei Religioso, qui donauit, sed ei Monasterio, domui, vel alteri loco de cuius bonis facta est largitio, uel si non de eius bonis donatum est in quo idem Religiosus donãs professionem emisit, uel si nomine totius Capituli, Conuentus, aut Congregationis, uel uniuersi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit; pariter communi mensæ aut massæ, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur; ita ut nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, &

Aliàs ad restitutionem ipso facto valet teneri.

Quæ restitutio fieri debeat loco, de cuius bonis facta est largitio.

K ite-

iterum condonare aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, uel ut in Pauperes eroget concedere quoquomodo possit.

Regularium  
contraueniē-  
tium pœna.

§. II. Quod si quis ex supradictis utriuslibet sexus, cuiuscumque gradus, ordinis, dignitatis ac ubilibet locorum existentibus coniunctim cum cæteris, seu diuisim nostrarū huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, iussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit; statuimus, ut omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officijs eo ipso priuatus, ac ad illa & alia similia, uel dissimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuo, & incapax ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat. Et præterea priuationem uocis actiuæ, & absque ullo Superioris decreto, aut ministerio ipso facto incurrat: necnon ultra huiusmodi pœnas, etiam tãquam contra furti, & simoniæ criminum reum, tãmp̄er uiam denunciationis, accusationis, aut querelæ, quàm etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisq. supplicijs affici debeat. Pœnis alijs à iure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria cuiusuis Ordinis, Congregationis, Monasterij, Domus, aut loci, statuta, uel consuetudines contra personas ali-

quid

quid premissorum committentes forsan decretis, & inflictis, nihilominus in suo robore permanseris.

§. 12. Quocirca uniuersis, & singulis modernis, & pro tempore existentibus Locorum Ordinarijs, eorumq. Vicarijs, & Officialibus, necnon quorumcumq; Ordinum, Prioratum, Monasteriorum, & Domorum Superioribus, etiam Generalibus, seu Prouincialibus, cæterisque ad quos spectat, per Apostolica scripta mandamus; quatenus ipsi, & eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, auctoritate, & uigilantia præsentem Constitutionem firmiter, & inuiolatè obseruari, & contra inobedientes, uel transgressores condignis penis animaduerti. Eosdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet, & rebelles per opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, inuocato (etiam ad hoc si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis.

Executorum  
deputatio, &  
facultas.

§. 13. Non obstantibus Cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictorumq. Monasteriorum, Prioratum, Domorum, Locorum, necnon Ordinum, Congregationum, Collegiorũ, iuramento, confirmatione Apostolica, uel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indul-

Contrariorũ  
derogatio.

K 2 tis,

tis, & litteris Apostolicis quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta effectus præsentis nostræ Constitutionis impediri quomodolibet valeat, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Quæ omnia, quatenus præmissis in aliquo aduersentur, prorsus tollimus, & abrogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Transumpta  
quotannis in  
Capitulis, &  
cet. legantur  
publicè legā  
tur.

§. 14. Volumus autem, vt præsentibus litteræ in valuis S. Io. Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarū, & in acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis, & dimissis. Quodq. earum exempla, seu illorū compendia in libris quorumcumque Statutorum prædictorum Monasteriorum, Prioratum, Collegiorum, Domorum, Ordinum, & Congregationum (quoad Moniales, in vernaculum, & vulgarem cuiusque Regionis sermonem versa) & à Loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, subscripta inserantur; & saltem quotannis in Capitulis, siue Congregationibus cuiusque earum alta, & intelligibili voce legantur.

Publicationē  
eius in Vrbe,  
omnes arcta-  
te vult.

§. 15. Et nihilominus post sexaginta dies à die publicationis (vt præfertur) in Rom. Curia facienda, vnumquemq. citra  
mon-

montes, ultra montes vero post quatuor menses, perinde arceant, & afficiant, ac si cuique personaliter intimata, & per eos iurata fuissent.

§. 16. Quodq. earum transumptis etiã Transumpto- rum fides. impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum, Sanctio pœ- nalis. liceat hanc paginam nostrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, statuti, mādati, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, Tertiodecimo Kal. Iulij Pontificatus nostri tertio. Dat. P. an. 2. 13. Cal. Iulij.

L. CARD. PRODAT.

M. Vestrius Barbianus.

A. de Alexijs.

*Registrata apud Marcellum Secretariũ.*

K 3 In

Publicatio.

In nomine, & à Natiuitate Domini  
 millesimo quingentesimo nonagesimoquar-  
 to, Indictione septima, die vero secunda,  
 mensis Iulij, Pontificatus Sanctissimi in  
 Christo Patris, & D. N. D. Clementis di-  
 uina prouidentia Papæ viij. Anno tertio.  
 Retroscriptæ litteræ publicatæ, & affixæ  
 fuerunt in acie Campi Floræ, & alijs lo-  
 cis publicis, & consuetis per nos Prosperum  
 Spada, & Franc. de Bonis, eiusdem San-  
 ctiss. D. N. Curs.

Ita est Franc. de Bonis, S. D. N. P. P. Curs.  
 Gabriel Saurellas Curs. Mag.

Sanctiss. D. N. D. V R B A N I  
 diuina prouidentia Papæ VIII.

Confirmatio Declarationis Constitutio-  
 nis Clementis Papæ VIII. de Largi-  
 tione munerum Regularibus vtriuf-  
 que sexus interdicta.

V R B A N V S P A P A V I I I.  
 Ad perpetuam rei memoriam.

Edita 15. Se-  
 premb. 1640.

**N** Vper à Congregatione nonnullorū  
 Romanæ Curie Prælatorum, corā  
 dilecto filio nostro Antonio tituli S. Pe-  
 tri ad Vincula Presbytero Cardinali Sā-  
 cti Honuphrij nuncupato, maiori Pœnit-  
 ten-